

V. in tractat. de Vestigiis Gnosticorum in N. T. frustra quaesitis, p. 187. lqq. Alii potius de Iudaizantibus cogitant, qui, relicta vera doctrina, oracula fingebant adversus Romanos, ultionem jam decernentes in eos, voluptatibus foedis ipsi deditissimi. Conf. *Semlerus* ad h. l. et *Rosenmüller* in scholiis ad v. I.

IV.

2 Petr. II. v. 13. occurrit lectio dubia in verbis: ἐν ταῖς ἀπάταις αὐτῶν. Cum *Grotio*, *Zacharia*, *Semlero*, quibus accedere videtur *Rosenmüller*, praefero lectionem ἀγάπαις. Primo sic legerunt antiquiores Codices Graeci Alexandr. Barberin. Vales. et translationes Arabicae, Syra poster. in marg., Aethiop. Vulg. Ephr. prob. *Griesbachio*, qui quidem hanc lectionem, uti tamen *Erasmus Schmidius* fecit, in textum non recepit, signo tamen indicavit, lectionem marginis interioris aequalem, imo forte praefereendam esse receptae lectioni. *Clemens Alexandr.* Stromat. l. III. fol. 430. vulgarem quoque rejicit lectionem et legit ἐν ταῖς ἀγάπαις. Latinus interpres vertit: in conviviiis. Aberratio certe orta est, ut in aliis locis quam plurimis, ex compendio litterarum. Deinde lectio ἐν ταῖς ἀγάπαις probatur ex Epist. Iudae v. 12, qui locus est parallelus: οὗτοι εἰσιν ἐν ταῖς ἀγάπαις ὑμῶν σπιλᾶδες, isti vero foedant vestras Agapas. Hoc argumentum firmissimum est. Etenim Iudas in epitomen redegit Petri epistolam alteram, iisdem, quibus Petrus verbis usus; etsi infitari non possit, modo huc, modo illuc quaedam addidisse. Vid. *Zachariae* in prolegom. ad ep. Iudae, et *Michaelis* in der Einleit. vol. II. p. 1205. Porro notandum, in antecedentibus narrari flagitia fere publica, ita ut nunc de ἀπάταις non possit loqui. Postulat etiam series flagitiorum, ut jam quoddam aliud sequatur, quod excitet lectorum attentionem. Nominabantur jam jam σπῖλοι καὶ μῶμοι, dedecora et maculae Christiani nominis, ita nunc sequitur: ἐντροφῶντες ἐν ταῖς ἀγάπαις, luxuriose vivunt in Agapis, ut pessimum vitae genus ejusmodi hominum indicetur. Cf. *Semlerus* ad l. Denique omitto αὐτῶν cum Arab. polygl. et Vulg. manuscr. probb. *Grotio* et *Griesbachio*, ex quo verbo argumentum ad stabiliendam firmandamque lectionem receptam *Elsnerus* in observatt. petivit. Quae enim quaelo (sunt illius verba) sermonis insolentia, illi suis Agapis convivantur vobiscum?

Iuvat quoque in medium proferre ea, quae *Oecumenius*, ex quo forsan Anonymus in catena Ms., citatus a *Millio*, sua hausserit, ad l. habet: Ἀλλὰ καὶ συνευόμενοι (*Wolfius* in curis mavult συνευωχούμενοι legere) φήσιν ὑμῖν, οὐ δι' ἀγάπην, καὶ τὸ μεταλαμβάνειν ἄλλαν τῆτο ποιῆσιν, ἀλλὰ διὰ τὸ καιρὸν εὕρισκει τῆτον ἐπιτήδειον τῆς πρὸς γυναῖκας ἀπάτης. Οὗτοι γὰρ ὀφθαλμοὺς ἔχοντες οὐδὲν